

05

A

869





Q. D. F. E. J.  
EXERCITATIO MORALIS

28.

De  
**JURE SEPUL-  
TURÆ**

Quam  
In Celeberrima Universitate Wittebergensi  
Sub

**PRÆSIDIO**

**M. JOH. ERNESTI Herings /**

Amplifs. Colleg. Philos. Adj.  
publicæ Disputationi  
exponit

**AUCTOR & RESPONDENS**

**ABRAHAMUS Hincelman /**

Döbel, Misnicus

*In Auditorio Maj.*

*Ad diem X. April.*

*A. Æ. V. Clj. 12C. LXLX.*



Literis JOHANNIS HAKEN,

36.



VIRIS  
AMPLISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO  
DN. AUGUSTO PFEIFFERO  
ORIENTAL: LINGG: PROFESSORI EXTRAORD:  
IN ACADEMIA VVITTEBEG: SPECTATISSIMO,  
IBIDEMq; FACULT: PHILOSOPH: ADJUNCTO  
MERITISSIMO,  
PHILOLOGO LONGE-NOBILISSIMO  
PATRONO PRÆCEPTORI, ET PROMOTORI COLENDISSIMO  
UT ET

PRÆCELLENTI PRÆCLARISSIMOQVE  
DNO: M. ANDREÆ BEYERO,  
S. S. THEOL: CANDIDATO DIGNISSIMO,  
GYMNASII FREIB: CON-RECTORI  
MERENTISSIMO,  
PHILOLOGO CLARISSIMO,  
PATRONO, ET OLIM PRÆCEPTORI ÆTERNUM  
HONORATISSIMO.  
NEC NON

PRÆ-EXIMIO AC CONSULTISSIMO  
DNO: MARTINO ALBERTI  
JURIS UTRIVSQUE CANDIDATO  
DOCTISSIMO

EVERGETÆ PROMOTORIQVE SUO  
NUNQVAM NON SUSPICIENDO :

Hasce Suorum laborum  
Primitias

Sacras dicit

Clens-Autor.



05 A 869



## כְּהֵנָּה



Um illustrissimum, quod nunc in S. S. Trinitate est, funus, ejusq; sepulturam, passim proclamant Ecclesiae orthodoxae tubae, dum filium DEI mortuum, suo mugitu petrae, splendidissimi universi hujus oculi obscuratione, caelum, verissimam planè confessione gentile Centurionis pectus, veli in templo miraculosam scissione, admirantur; dum infucata Christi cætus membra Josephus cum Nicodemo de sepultura cogitat, quæ omnia in scripturâ divinitus revelatâ sedulo indagari præsentissima quasi sistuntur; & nobis alia moliri grande nefas, vixq; piandum, quin potius sepulcrum curæ, præsensq; nostri schola erit. Sponsa nil nisi Sponsi statum cogitat, meditatur, somniat. Dum Sponsus meus cælestis, dum amor meus crucifixus, dum sola mea salus, sepelitur, quid aliud nisi sepulcrum, quid nisi Sponsum meum meditari licebit? Et sanè quid unquam jucundius graviusque insimul tali meditamine? Obstupesco quoties DEUM sepultum audio; præ lætitiâ rursus vix me capio, quando Terram - Matrem tanto deposito sacratam cognosco: Exosculor lapidem, qui solus quietem DEO in his terris præstare, qui solus immaculatum DEI agnum fovere potuit. Jactate jam nunc Fratres Christiani, sepulcra vestra, tanto socio sanctificata! Nemo certè sine insigni gaudio eadem recogitare poterit! Expertus idem ipse, quum manus admovere præsentibus pagellis conarer, & Gentilium aliorumq; οἱ ἐλπίζα ἕκ' ἕχθροι perspicerem τάφον ἀτάφον; O quantis, per tuam gratiam mi Jesu, parasangis præstat nostra ab his sepultura! ingeminabam. Placuit ergò Lector Benevole, & nunc tempori inservire, TIBI que sepulturam proponere.

l. de J. P.  
§ B. l. 2. c.  
19.

here. Non quidem sepulturam Alexandri M. aut alius Orbis do-  
mitoris, Monarchæque μετὰ πολλῆς φαιλασίας sæpè celebratam,  
sed quæ tandem in universali, de toto hoc officio tradi, proponi-  
que possunt. Nemo tamen idcirco, puto me facillè ingenii au-  
dacem accusabit, qui cum tanto onere meos comparare hume-  
ros, postque tot Roscios in scenam prodire ausus fuerim cum &  
& nonnunquam post luscinia cantum, & suavissimos modos, anser  
gratitet. Ne tamen sine Pharo innatem Oceano, Magnum Gro-  
tium respicere placuit, ita tamen ut ubi illum fortè excutientem  
invenero, oculatiores Duces (inter quos meritò primo loco no-  
mino, Viros laude nostrâ majores Dn. D. Calovium & Dn. D. Zieglerū  
illum in Grotio ἐλεγχόμενον, hunc in notis ad præsens de naturæ  
& gentium jure systema) merito quæram. Tu qui solus mentis no-  
stræ nebulas disjicis, verumq; & salutare doces, visita me ex alto, ut &  
hic meus labor, attingat, quam mihi præfixi, TUUM HONOREM, meiã.  
Exaudi me, ô dulcissime JESU, ob nunquam satis de prædicandam TUAM  
sepulturam.

§. 1.

I. An in  
jure Gen-  
tium fun-  
detur jus  
humandi  
mortuos?

Accuratè ut solet, Grotius hanc materiam & hic in limine tra-  
ctavit, dum ἀνωθεν τὴν πηγὴν διούρει, & in scaturiginè hujus  
sepulturae juris primâ vice disquirat, eandem ex jure gentium vo-  
luntario tandem eruendo. Ex jure gentium inquit, quod ex  
voluntate ortum habet, debetur & corporum mortuorum sepul-  
tura, non aliter sc. ac cap. præced. jus Legationis.

§. 2. Hic falsè aliquantulum obloquentem sibi invenit no-  
ster, Politicum non neminem doctissimum, qui ita de hac re alicu-  
bi: (a) Undè nobis constat, de inito illo consensu, quo primitus  
inter omnes populos hoc institutum invaluit? quis produxit ta-  
bulas, quibus formulæ horum pactorum continentur? Quin non  
potuisse nudo consensu obligari populos in perpetuum ex eo  
constat: quod subindè novi Principes Rebusp. præficiantur. Hi,  
ut non tenentur prædecessoris leges observare, sic multò minus  
extraneorum vinculis subjacent, nisi conventionibus ipsi denuo  
subscripserint &c. Tantum v. abest, ut hic nostrum solùm refu-  
tet,

(\*) lib. 2. c. 8. de G.

et, ut totum gentium jus voluntarium tacite abneget. Constat enim omnino nobis de illo consensu populorum, per Historicorum monumenta & experientiam. Annon datur in talibus sva-  
visimus profecto consensus inter plurimos, certe moratiores. Et  
quas tandem postulat tabulas, quibus formulæ horum pactorum  
continentur? Hæc equidem nec nos promittere possumus, nec i-  
psi desideramus. Earundem tamen vices ut dixi facillimè sup-  
plebunt, Historicorum relationes verissimæ. Præterea quod  
ad novos Principes Rerump. tenentur iidem, & quidem tacite, jus  
hoc gentium observare, ob insigne commodum & emolumentum.  
Hæc *ἐν τῷ ἀρχαίῳ* & pace viri Doctissimi.

§. 3. Quod porro ipsam à Grotio subministratam juris ori-  
ginem, concernit, putamus eandem non adeò absurdè admitti  
posse, si modò eidem Grotio (b) dari jus Gentium duplex, & quod  
singulis gentibus placuit, sine mutuâ obligatione, & id quod mu-  
tuam obligationem in se continet, concedamus. Et tunc præsens dici-  
mus esse prioris generis. Quanquam fateamur hoc modo terminum  
juris aliquantum latius accipi, pro eo, quod pluribus populis, ob  
aliquam commoditatem placuit (c) sed non sub formulâ alicujus  
obligationis. (d) Quod si fortasse tamen alicui planè intolerabi-  
da, & durior hæc acceptio esse videatur, per nos morem & usur-  
patam consuetudinem substituat, licebit, cum citato Autore, qui  
sanè plura, (e) quæ juri Gentium adscribuntur, moris & usurpatæ  
cōsuetudinis esse, quæ juris nomine designari possescribit Arbitra-  
mur tamen, ut diximus, juris vocem sine vi, adeò ampliari posse,  
ut etiam generaliore quendam, & juri consentaneum ap. plu-  
res non adeò effrenes populos, consensum importet. Nobiscum  
sentit *ὁ πολυμάχης* & Theologus (f) Dn D. Quendst. dius, suam  
mentem & rationem hisce verbis exhibens: *Corporum, ait, vitæ fun-  
dorum sepulturam, juris gentium esse, quod apud omnes gentes, vel cer-  
tè plerasq; h. e. apud eas que non sunt effrenis omnino & incultis moribus,  
ut ap. barbaras etiam nationes quadantenus obtineat, ut tradit Petrus  
Faber Semestrium lib. II. c. 1. p. 7. si aliundè non constaret, Dionis C. bry-*

A 3

(b) lib. III. c. 1. de J. B. & P. p. m. 435. (c) vid. Aut. tractat de Civ. lib. 2. c. 2.  
p. 201. (d) Grot. l. c. num. 8. (e) lib. 2. c. 9. de Civ. p. 428. (f) in eruditi-  
one variâ repleto libro de Sepulc. Vet. cap. 2. p. 19. seqq.

sofioni auctoris gravissimi autoritate moverer, ut existimarem. Hic enim in Oratione περὶ ἐπιφάνειας disertis verbis, humanare mortuos, inter mores ἢ ἐπιφάνειας, quae τοῖς ἐπιφάνειαις scripto juri opponit, refert. Per ἐπιφάνειαν, sive consuetudines jus gentium non scriptum intelligit &c. Juris gentium iterum non primarii, sed quod proprie jus gentium audit, secundarii, quod ab hominibus inventum est, & mentis quādam agitatione, comparatis inter se rebus, excogitatum, usu scilicet & necessitate exigente, definiente Dn. D. Zieglero (g) esse dicimus. Ariminus enim vetus Poëta

*Humano (canens) generi posuit natura creatrix*

*Hanc legem, ut tumuli membra sepulta tegant,*

Item Philo, Josephus, Isidorus Pelusiota, & Aelianus, quando naturae jus appellant, impropriissimè locuti sunt, vide quomodo eosdem excuset Noster.

§. 4. Caterum quos noster collegit, flosculis de hoc jure, addere quoque licebit, sequentes insignes Isocratis locos: (h) οὐτὸ μείζων τῆς τριτάτης δευτερευούσης τῆς ἐπιφάνειας καὶ τῆς ὑπὸ τῆς κατὰ μέρη τελευτῆς (αντας αὐτὸς μὲν ἔδωκεν ἀνελεύθῃ, τὴν δὲ πόλιν ἡμῶν ἀξίων βοηθεῖν ταῖς κοιναῖς τύχαις, καὶ μὴ παρορᾶν τῆς ἐν τοῖς πολέμοις ἀποφθνήσκοντες ἀτάφους γιγνομένης, μηδὲ παλαιὸν ἐπιφάνειαν καὶ πάτριον νόμον καταλύμενον). i. e. Nam is quidem (Adrastus Talai filius) in expeditione Thebanā, clade acceptā, quum sub Cadmeā casus ipse tollere non posset, a nostrā urbe petiit, ut communis sortis miserati, opem ferrent: neque, in praeliis occisos insepultos jacere, aut VETUIS INSTITUTUM, ET PATRIAM LEGEM aboleri paterentur. Similiter vocat: (i) παλαιὸν ἐπιφάνειαν καὶ πάτριον νόμον, ὃ πάντες ἀνθρώπου χρώμενοι ἀγατέλθουσιν, ἔχ' ὡς ὑπὸ ἀνθρωπίνης κειμένη φύσεως, ἀλλ' ὡς ὑπὸ δαιμονίας περιελαγμένω δυνάμεως. Vide eundem alibi (k).

§. 5. Graecis, ut qui in morum religione facile reliquis præripiunt palmam, sepulcrorū cura sanè nunquam non fuit maxima, sic enim Alex: ab Alex: (l) *Tanta apud Graecos cura sepultura fuit, ut decem Praetores quod bello navali apud Arginusas vi tempestatis acti, defun-*

(g) in plusquam aureis ad Grotium notis in lib. 1. c. 1. §. 10. p. 51. seqq.

(b.) in Panegyrico p: 101. edit: Stephan: (i.) in Panathenaeico p: 529.

(k) in Orac: περὶ τῆς Ἀντιδόσεως p: 636. (l) Genial: Dier: p: 353. b.



defunctos in acie non sepelissent; ab Atheniensibus capitis accersiti, & ultimo supplicie affecti sint. Et Lacedæmonii, dum contra Messenios ducunt, ne milites qui bello ceciderant, insepulti manerent tesseras in brachiis, insculptis nominibus habuere. Inolevitq; mos Athenis, ut singule tribus, singulas arcas in quibus cadavera, & dispersas reliquias illorum, qui bello ceciderant sua cuiusq; tribus inquisita colligerent in expeditione vehiculis ferrent: Sic Aristoteles sepulturam inter honoris species refert: (m) μέγν δὲ, inquit τίμῆς τὰ ποί, εἰκότες. &c. Et Servius iusta de hoc officio (n) Qui de pietatis inquit generibus scripserunt, primum locum in sepultura esse voluerunt. Unde cum Pontificibus nefas esset, cadaver videre, magis tamen nefas fuerat si visum insepultum relinquerent. Conf. Cl: Barthius (o) Gyraldus (p) Camerarius (q) & Excel: Dominus Stolbergius noster. (r) Imò Cimoni pater sepulcro (sic n. scribi debere Lipsius & Dilberus in Orthographiâ consentiunt sub hac voce) careret tanta fuit iniquitas visa, ut vincula loco ejusd: subire non dubitaverit. Nam cum Pater ejus (s) litem aestimatam populo solvere non potuisset ob eamq; causam in vinculis publicis decessisset Cimon eadem custodia tenebatur, neq; legibus Atheniensibus emitti poterat, nisi pecuniam, quâ pater multatus erat, solvisset.

S. 6. Inde quoq; tanta sepulcrorum religio, ut quæ facta testatq; manerent, tantum non omnibus placuit populis, hinc Tertullianus (t.) requiem sepulturæ tanquam asylum quoddam mortis; & Tacitus: (u) eorundem violationem, grave crimen læsarum religionum, appellat. Conf: Alex: ab Alex: (x.) Et de Numâ Pompilio Patrum doctissimus (y) refert. sepulcro suo aratrum propinquare posse, non credidisse. (z) Conf. Commentatores ibid: Atheniensium ad Ætolos Legati ap: Livium (aa) Esse quædam fatentur, belli jura quæ ut facere, ita pati sit fas: fata exuri, dirui tecta, præ-

das

(m.) Rhetor: lib: 1. cap: 5. (n.) in Virg: Æn: lib: VI. p: m: 1005. (o.) lib: II. Advers: cap: 7. (p.) de var: sepel: rit: (q.) p: 2. med: hist: p: 64. (r) in prælect: ad Sophoc 1: Ajac: p: 214. (s) Sunt verba Corn: Nep: in vitâ Cim: statim ab initio. Adde præter Herodot: & Plutarch. Valer: lib: V. c. 3. & 4. Justinum lib: 2. in fine, & Quintilian: Declamat: 303. in fine. (t.) in Apolog: cap: 37. (u.) lib: 3. (x.) Gen: D. lib: VI. c. 14. (y.) Augustin: in præclaro de C. D. opere Tom: 1. lib: VII. c. 24. p: m: 701. (z) Lud: Vivès, & Coquaus. (aa.) lib: XXXI. cap: 30.

das hominum pecorumq; agi; misera magis quam indigna patienti esse. Sed statim divina humanaq; jura Philippum polluisse referunt, qui sepulcra monumentaq; diruerit, omnium nudavit manes &c: consulatur præterea *Torrentius* (bb) & *πατρισιμωων Rittersbusius* (cc.) Anxiè quoq; non minus quam piè sepulcris in Jure provisum, ut videre est ap: *Dn. Salmuth*: (dd)

§. 7. Quid? quod ex nullo alio fonte emanarunt tot insana multorum monumenta & Mausolea, præprimis Ægyptiorum quoq; prægrandis Pyramidum structura quæ adhuc hodiè superat apud *Dn: Christoph: Arnold.* (cc) & alios. Eorundem quoq; Ægyptiorum Reges ad vitam honestam, & juris observantiam, nihil tam adduxerunt, quam si secus facerent metum atq; formidinem denegatæ sepulturæ testis est *Diod: Siculus* (ff) Idem de Milesiis virginibus, post *Plutarchum* (gg) *Gellius* refert (hh) Eas sc: ferè quod dum in eâ civitate fuissent sine ullâ evidenti causâ voluntatem capisse obeundæ mortis ac deindè plurimas vitam suspendio amisisse. Id quum accideret indies crebrius, neq; animis earum mori perseverantium medicina adhiberi quiret, decrevisse Milesios ut virgines, quæ corporibus suspensis demortuæ forent, ex omnes nudæ cum eodem laqueo, qui essent præ vincitæ efferent. Post id decretum virgines voluntariam mortem non petiisse, PUDORE DETERRITAS TAM INHONESTI FUNERIS. Vid: *P. Ærodius* (ii.) Et *Mezencius* jamjam ad plures abiturus, nil nisi sepulcrum exorat: (kk)

*Unum* (ait hoc per (si quæ e victis venia hostibus) oro;

*Corpus humo patiare regi: scio acerba meorum*

*Circumstare odia: hunc oro defende furorem,*

*Et me consortem nati concede sepulcro.*

*Cicero* (ll) infelicius dicit cadaver *Publii Clodii*, quod honore & consuetâ funeris pompâ caruerit. Qui plura avet, adeat *Filescum* (mm) & *Kornmannum*. (nn) Innumera quoq; hic conferri possent,

nisi

(bb) ad *Horat: lib: Epod: od: 16.* (cc.) *lib: VI. Sacr: Lect: c. 18.* (dd.) in *notis ad Panciroll: Tom: 1. p: 720. seq.* (ee.) in *Appendice zu der erdffneten Thür zum Heidenthum* (Rogeri, passim (ff.) *lib: 1.* (gg.) *περι τῆς ψυχῆς* *lib: 1.* (hh.) *lib: XV. c. 10. p: 370.* (ii.) *lib: Decret: tit: 39.* (kk.) *Virg: Æn: lib: 10. in fine.* (ll.) *orat: pro Milone.* (mm.) *lib: 1. Select: p: 272. seq.* (nn) *part: VII. mirac: mort: s. XI.*

nisi brevitatis studiosus Tuâ benevolentia, Lector optime, abuti recusarem, postq; tot Homeros, inter quos etiam *Grotius* numerari meretur, Iliada conscribere abhorrerem. Spicilegium, non plenior meam, promitto.

S. 8. De labor ergo ad paragraphum secundum *Grotij* No- II. Unde jg  
sepultura  
fit ortum?  
stri, ubi in ipsa sepulturae originem inquirat. Et sane posset alicui hic tantum non plane ἀπορον & ἀδύτου videri, dare sepulturae causam, qui consideraverit tam diversissimos, diversissimis gentibus in tractandis hominum de mortuorum corporibus observatos ritus. Etenim ut de civili magis variam tamen in terrae sinu absconzione nihil dicam (ubi modum humani corpora uti sunt, antiquissimum, & naturae convenientissimum esse post *Ciceronem* (oo) *Plinius* testatur: (pp) *Vetustissimus mos fuit inveniens, mortuus in terram abscondere.*) quot quæso, modis aliis turpissimis & inhumanissimis plerumque tractata sunt à nonnullis mortuorum cadavera? *Hypoboreis* præ reliquis mortis generibus arridebat, ut saturi vitæ, epulati, delibutiq; de rupe se in mare profundum præcipites darent. (qq) In nonnullis Insulis hominum corpora, non putrescere, ideoque non humari, sed dio exponi & incorrupta permanere tradit ex *Gyrardo Ortelius*, (rr) & hinc maximam stirpis suæ seriem cognoscere posse posteros. *Cælar Rhodiginus* (ss) Magorum morem fuisse, non humare suorum corpora, nisi à feris antea laniata fuissent, scribit. *Colchi* defunctos suos de arboribus suspendebant. (tt) *Ægyptii* ignem belluam animatam, & omnia quæ nascuntur devorare, posteaque devorando expletam, unam cum ipsa re devorata mori, persuasi, igni scilicet belluæ huic fictitiæ non tradebant, sed condiebant cadavera. (uu) (Indè nonnulli explicant locum *Genes 50. v. 2.*): *Græcus* (cadavera) exurit, *Perse* defodit, *Indus* adipe suo oblitit, *Scythæ* devorat, muriam condit *Ægyptius*. Atque hic quidem (rem à me visam narro) desiccatum cadaver convivam & compotorem adhibet &c. sunt verba *Luciani*. (xx) *Cynicus* ap. *Stobæum* (yy) dicebat: si canes cadaver suum laceraverint, *Hircanæ* sepulturam fore, si vultures *Ibericæ*. At si nullum animal accederet, pulcherrimam sibi fore sepul-

(oo) de LL. lib. II. p. 448. (pp) lib. VII. N. H. c. 54. (qq) *Polydor. Virg. lib. 3. de Rerum invent. cap. 10.* (rr) in theatro Orbis tab. 10. de Hibern. (ss) lib. 9. Antiq. Lect. c. 43. (tt) *Apoll. lib. 3. Argonaut. Hist.* (uu) vid. *Herodot. in Thaliâ.* (xx) de luctu p. 774. (yy) serm. 122.

pulturam, corpore à pretiosissimis rebus, sole sc. & imbribus confumto. Satis cynicè! Imò *Scythæ, Massagetae, & Derbici* quidam parentes senio confectos, mactabant, coquebant, & tanquàm ad solenne convivium congressi concoquebant. (zz) *Paribi, Bactriani, & Cassi*, canibus domi ad hoc officium eductis, dilaniandos mortuos objiciebant, uti refert *Bonfinius* (aaa), *Lotbophagi & Ichthyophagi* in mare projiciebant, (bbb) *Moscovita*, per annum loculis cõditos mortuos in fornicato aliquo coenaculo asservant, antequàm terrã eos condiãt. (ccc) *Essedones* parentũ funeribus cãtibus prosequuntis, mox cãtibus propinquo rũ advocatis quod dictu audituque fœdissimũ est, ipsis cadaveribus immistis ovillis carnibus vescuntur. In *Scythia* nonnulli olim, parentũ cadavera inter nives, & glaciẽ truncis affixa detinebant. Sed apud Italos cadavera defunctorum pretiosis induta vestibus & lectis imposita efferuntur, fucõ illinitis puellarum faciebus, ut mortuæ nonnunquam pulchriores vivis appareant (ddd). Consulatur de his plerisque *Alex. ab Alex.* (eee) qui etiam plures monstrabit. In præsentĩ nobis quæstio est: Quæ primũ causa moris (verbis utimur *Grotii*) introducẽdi fuerit, ut corpora humo tegerentur, sive condita prius, ut apud *Aegyptios*, sive cremata ut apud *Græcos* plerosque: sive ita, uti sunt?

§. 9. Meritò hic *Illustris Grotius* asserit, de hoc non omnibus idem videri. Primo loco producit *Moschionis* rationem, qui exigentẽ feritate mandendi homines deducit, ut ita hujus abolitæ signum sit sepultura. Verum enim verò ingens & de pollice onus probandi incumbit Poëtæ, *αὐτῶν τοῦ πατρῶος* fuisse Gentis nostræ majores: tantũ abest ut dubitemus, ut oppidò negemus. Longè aliter de majoribus nostris, affatim constat. Et licet largiamur *Paraphrasæ Chaldaeo* (quem *Titi* sororium putat *Cl. Rupertus Hist. Un. p. 20. seqq.* vide tamen quæ docuit Philologiæ insignis decus *Excell. Dn. Pfeifferus, Præceptor meus colendissimus* (fff)) *Besoldo*, & aliis, *Nimrodi* posteritatem Gigantẽã staturã conspicuam fuisse.

(ggg)  
 (zz) *Herod. lib. 4* (aaa) *lib. 1. rerum Ungaricarum Decad. 1.* (bbb) *Alex. ab Alex. lib. 3 gen. dier. 2. cap.* (ccc) *Heidenst. de bell. Moscov. l. 5. Cit. à B. Dan h. dec. 8. qq. Polit. qu. 10* (ddd) *Camer. hist. med. 96.* (eee) *G. D. lib. III. c. 2 p. m. 114. 115. & c. cui adde cit. supra Gyraldum.* (fff) *in dissertatione doctissimã de Targumim cap. 4. lb. 4.*

(ggg) quod & concedit ipse *Cl. Boetius*; (hhh) non erit tamen, ut inde tam immanes inhumanosq; fingamus, qui nec humanâ & sociâ abstinuerint carne. Minime. Nec ulla hujus fabulæ extat mentio aut vola per totum codicem V. T. Fuerit licet Cainitica & Nimrodi posteritas & soboles impiissima, & idololatrica, nûquam tamen ad istam immanitatem eos ascendisse, mihi persuadebo.

§. 10. Quod alteram aliorum rationem attinet miramur merito, & hîc, ut alibi, sapius, Gentilium de Terrâ-Matre saniorē doctrinam, quam ex sacrorum scriptorum lectione fortè, aut famâ hausisse videntur. Ipsa hæc ἔνσις expressè reperitur ap. *Columellam* (iii), & huc pertinet omninò quod refert *Livius*, (kkk) cum Lucius Brutus Titi & Aruntis Tarquiniorū Delphos missorū comes, ex infimo Delphici Apollinis specu vocem redditam accepisset, imperium è præsentibus juvenibus summum Romæ habiturum, qui primus osculum matri tulisset, Tarquiniis oraculum secus capientibus, illum terram osculo contigisse, quod ea communis mater omnium mortalium esset. Conf. *Dionys. Halic.* (lll) & noster *Grotius* (mmm). Hinc Terra mater culta, imò DEUM MATER. *Lucretius*: (nnn)

*Hic si quis Mare Neptunum, Cereremq; vocare*

*Constituet Fruges, & Bacchi numine abuti*

*Mavolt, quàm laticis proprium proferre vocamen*

*Concedamus ut hic Terrarum dicitur orbem*

*Esse Deum matrem dum re non sit tamen apse.*

Et propterea ita vocatam conjicit, doctissimus Anglus, *Joh: Seldenus* (ooo) quod quæ ex eâ nascuntur, itidem Dii habeantur. Et tales honorarii tituli telluris erant, quando hinc inde *παμμήτηρ*, *ιτημήτωρ πάντων* nonnullis doctis autoribus salutatur ap. *Cl. Beyerrum*, Virum de me [quo nomine ei hîc publicè gratias ago,] meriti-  
tissimum, (ppp) qui in simul ex *Magni Reinesii Epist. 630.* sequentem exhibet inscriptionem:

B 2

MATRI.

(ggg) *Resoldus in Synopsi Hist. Un. min.* (hbb) in notis ad *Vellej. p. 55.* (iii) *lib. II. de Re Rusticâ c. 1.* (kkk) *lib. I. c. 5. 6.* (lll) *lib. IV. c. 75.* (mmm) in notis ad *lib. de Ver. Relig. Christ. p. 58-60* (nnn) *lib. II.* (ooo) *Prolegom. III. in de D. S.* (ppp) in *Additam. ad Selden. lib. cit. p. 86. seq.*

MATRI. DEUM. MAGNÆ. IDÆÆ.  
 SUMMÆ PARENTI. HERMÆ.  
 ET. ATTIDI. MENOTURANNO.  
 INVICTO. CLODIUS.  
 HERMOGENIANUS. CÆSARIUS.  
 V. C.

Vide quæ ibid. de vocis HERMÆ in HERTHÆ mutatione legere licet it : quando Terram (rrr) *ἡ γῆ* esse, dixerunt De hâc ipsâ Terrâ DEÆ Tacitus agit, ubi de Germanis refert sequentia : (sss) *nec quidquam notabile in singulis, nisi quod in cōmune Hertbum, id est, Terrâ-matrē colunt, eâq; intervenire rebus hominū, in veibi populis arbitrantur. Est in insulâ Oceani, castū nemus, dicatum in eo vehiculum veste contactum, attingere uni sacerdoti concessum. Is adesse penetrati Deam intelligit, vectamq; bubus fœminis multâ cum veneratione prosequitur. &c.* Vide plura ap. laudatum Dn. Beyer. Quanquàm etiam aliam hujus formulæ (Terræ Matris) cum viris doctissimis, rationem dari posse sciam, inde sc. quod tellus cœu mater omnia nutriat, pariat, educetq;.

§. II. Interim quicquid de origine hujus tituli sit, quid tamen dicetur de illis literæ Spiritus S. nimum consonis judiciis, quæ allegavit Grotius, qn. Euripides & Cicero : *Terræ terram reddendam, it. Spiritum cœlo redire, corpusq; terra &c.* judicavere. Quibus addè insignem planè locum Menandri, qui legitur apud Stobæū : (ttt) *ἐὰν αὐτὴ ἢ δὴ γῆ καλυφθῆναι νεκρῶς ὅθεν δ' ἕκαστον εἰς τὸ σῶμα ἀφίκετο, ἐνταύτ' ἀπελθεῖν πνεῦμα μὲν πρὸς αἰθέρα, τὸ σῶμα δ' εἰς γῆν : i. e. Sinite jam terrâ mortuos operiri. Et unumquodq; undè in corpus venit, illuc redire; Spiritum quidem ad æthera, corpus v. in terram.* Hæc talia inquam, undè hausisse Gentiles dicemus ? Certè quod de Spiritus in cœlum migratione affertur, manifestò purioris doctrinæ famâ sapit. Inquis : At immortalitas animæ illis per naturam innotuit. Dantur, fatendum est, certè de hâc doctrinâ non ignobilia apud *βέλγας* hosce testimonia, ut in illis Sibyllinis, (de quorum tamen autoritate, religione, vitâq; non disquirimus) (uuu).

(rrr) in Platonis Tim. l. 4 (sss) de moribus Germ. p. 712. (ttt) serm. 124.  
 (uuu) ap. Lactant. lib. VII. Instit. c. 13.

αίετ



αἰὲν ἀγήρωσ ἕσα μὲν δ' εἰς πάντα αἰτέρησ  
ἀθάνατ' ὅ δ' ἐμένει καὶ ζῶησ δεσπότισ ὅτι  
πραῖτόν ὅ γὰρ τὸτο θεῶ διεταξε πρῶτα.

quin & ejusmodi affatim reperiri datur, ap. *Platonem* imprimis [xxx]. Referes quoq; huc, quando *Seneca* [yyy] animum humanum, ex iisdem, quibus divina constant seminibus, compositum, dicit. Hinc *Cleombrotus*, lecto *Platonis* libro, qui *Phædo* inscribitur de muro sese præcipitavit, quo tanto citius, ad immortalem illam vitam pertingeret, teste *Augustino* [ZZZ] Testatur idem *Tertullianus* [aaaa] quando notat: Quædam & naturâ nota esse ut immortalitatem animæ penes plures. *Plato* in *Axiobio* idem docet: ἡμεῖσ ἐσμὲν, scribit, ψυχῆσ ζῶον ἀθάνατον ἐν θνήσκῳ κατειργμένον φρεσῶ. *Seneca*: (bbbb) Non est, quod ad sepulcrum filii tui curras &c. Integer ille, nihilq; in terris relinquens fugit, & totus excessit. *Egyptios* idem docuisse testis est *Herodotus* [cccc] πρῶτον ἢ καὶ τόνδε τὸν λόγον Ἀἰγυπτῖοι εἰσι εἰπόντεσ, ὡσ ἀνθρώπων ψυχῆ ἀθάνατῆσ ἐστῖ. Τῶσ σώματ' ὅ δ' ἐκαταφθίνοντ', ἐσ ἄλλον ζῶον αἰεὶ γινόμενον ἐσδύεται. ἐπεὰν δ' ἐπιέλθῃ πάντα τὰ χερσῶ καὶ τὰ θάλασσια καὶ τὰ πτηνὰ, αὐτίσ ἀνθρώπων σῶμα γινόμενον ἐσδύεται. &c. Solum tandem audiamus *Ciceronem*: (dddd) Sic mihi persuasi, inquentem, sic sentio, cum tanta celeritas animorum sit, tanta memoria præteritorum, futurorum prudentia, tot artes, tanta scientia, tot inventa, non posse eam naturam, (quæ res eas continet) esse mortalē Deindè: Abeunt omnia unde orta sunt, animus autem solus, nec cum adest, nec cum discedit apparet. Item: O præclarum diem, cum ad illud animorum concilium cætumq; proficiscar, & cum ex hac turbâ & colluvione discedam. Sed notetur hic, quod ipse fatetur *Grotius* (eeee) & animadvertit quoq; *Magnif. Dn. D. Ziegler*. (ffff) pervenisse omninò aliqualem ad *Gentiles Philosophos*, de animæ immortalitate probabili, imò etiam de eo, quod *DEUS* eas immortales esse voluerit, cognitionem in-

B 3

terim

(xxx) in *Gorgiâ*, *Phædro*, *Epinomide*, *Philæbo*, *Timæo*, *Menone*, & πολιτεῶν lib IV. (yyy) *Consolat ad Helviam* p m. 107 (zzz) de *Civ. DEI* L. 1. c. 22. ubi addantur, quæ notarunt *Vives* & *Coquæus*. (aaaa) de *Resurrect. carn. c. 3.* (bbbb) *Consolat ad Mariam* c. 25. (cccc) in *Euterpe* vel lib. II (dddd) lib. de *Senectute* p. m. 260. Adde quæ idem habet in *Laliop.* 182. (eeee) de *veris. Relig. Chr. lib. 2. p. 39.* (ffff) in *notis ad Grot.* p. 8.

terim plurimos tamen hæsitantes hæc de re locutos esse. *Ciceroni*, (ut qui nobis major omnibus ferè testis videbatur,) opponimus *Ciceronem*: (gggg) *O miserum senem, exclamat, qui mortem contemnendam esse, in tam longâ etate, non viderit, quæ aut planè contemnenda est, si omninò extingvit animum, aut etiam appetenda est, si aliquò eum deducit, ubi sit futurus æternus.* Et tandem ( hhhh ) *Quod si in hoc erro quod animos hominum immortales esse credam, libenter erro, nec mihi hunc errorem, quo delector, extorqueri volo: si mortuus, (ut quidam minuti Philosophi censent) nihil sentiam, non vereor ne hunc errorem meum mortui Philosophi irrideant, quod si non sumus immortales futuri, tamen extingvi homini suo tempore optabile est. &c.* Hic dicit se posse errare, ipse *Tullius*, ut taceam aliorum. Manet E. firmissimum: animæ ὁ παρξιν, post discessionem à corpore hoc mortali, adeò firmiter ab Ethnicis assertam ac creditam non esse. Ipse *B. Lutherus* immortalitatem animæ humanæ apodicticè ex lumine naturæ demonstrari à Philosophis haut posse statuit, dum ait: (iiii) *Philosophi, de animæ immortalitate, disputarunt quidem, sed ita frigide, ut meras fabulas egisse videantur. Potissimum v. Aristoteles, sic de animâ disputat, ut diligenter & callidè caverit, ne alicubi differeret de ejus immortalitate: neq; voluit exprimere, quid sentiret. Plato reculit potius audita quàm suam sententiam. Neq; enim potest ullâ ratione humanâ evinci ejus immortalitas. Quia res est extra Solem, credere, animam esse immortalem. In mundo non videtur, nec intelligitur certò animas esse immortales. Hæc Megalander. Sed hæc controversia hujus loci non est.*

§. II. Qui dicunt per sepulturam simul monstrari spem futuræ resurrectionis, si de Christianorum sepulturâ intelligunt, me habent consentientem, non de reliquis, quibus nullâ spes. De iis n. nota vox, quâ irridebant profani hi Christianorum resurrectionis spem, apud *Theoph. Antiochen* lib. I. ad Antolycum: *δὲ ἕδον μοι, καὶ ἕνα ἐγερθέντα ἐκ νεκρῶν ἵνα ἰδῶν πιστεύσω.* *Simplicius* E. putat Noster dici, quod cum homo cæteris animantibus præstet, indignum visum, si ejus corpore alia animantia pascantur &c. quæ ratio iterum tantùm inter humaniores militat, quod & *Suidas* urget (kkkk) insepulta sc. cadavera esse *θάματα τῶ ἡλίω ἔδα-  
μῆ*

(gggg) in eodem de *Senect.* libello p. 254. (bbbb) in fine istius libri. (iiii) in *Comm. ad Eccles. v. 19.* (kkkk) in voce ἀκνηδῆς.



μὴ φίλον ἀπὸ κρυπτῶν ἀνθρώπων γέμω. Quid ergo reliquos movisse dicetur? Hic simplicius, cum *Magnif. Dn. D. Zieglero* (llll) esse asserimus, sepulcra primum inventa esse, ad removendum foetorem, ex cadaveribus provenientes, non principaliter defunctorum causâ, quod eis aliâ sit facilis jactura sepulcri. Nonnulli addunt, naturalem σοφῆν intercedentem parentibus & liberis, quæ non passa fuit e. g. in liberis Genitoris aut Genitricis corpora post mortem adeo immaniter à fævissimâ bestiâ dilacerari, devorari, pedibus conculcari, ab aëris item cœliq; injuriâ miserabiliter tractari. Et idem amor, tenerrimusq; sæpè affectus, prodit se inter cognatos, inde rectè *Plato* monet (mmmm) in sepulturis cogitare, hanc carnem, quæ terræ mandatur, nostrum illum esse vel filium vel fratrem, qui hinc alio suo fato impleto migrârit.) quid? inter concives & amicos, qui omnes agnoverunt, nihil esse iniquius, quàm hominem ferarum dominum in vitâ, post mortem à bestiis consumi. Accedit per manus q; tradita consuetudo, ab Adamo Protoplasto inde, à quò hocce humanum officium, (vel humanitatem ut *Cicero* & *Lactantius* vocant) edocti, qui ex ejusdē prodiere lumbis, & ab his postea alii. Pertinent huc verba *Antigones* ap. *Sophoclem* (nnnn) de hoc ritu ita differentis:

-- -- -- -- Non enim nuper vigent (hæc jura)

Sed evò ab omni; initia in occulto latent.

§. 13. Hisce præmissis admissisq; facile etiam movisse eosdem dicemus ea, quæ adfert *Gregorius Nyssenus*, à *Grotio* citatus, (cum quo consentit *Suidas* supra citatus) ὡς μὴ ἀναδειχθῆναι τῷ ἡλίῳ τὴν διχομοσίαν τῆς φύσεως. Indeq; rectè infert *Grotius*, officium hoc humationis non tam homini, i. e. personæ, quàm humanitati i. e. naturæ humanæ præstari, dici posse, consequenterq; nec hostibus deberi invideri. Pessima namq; vox est *Menelai* (oooo)

εἰ γὰρ βλέποντες μὴ δυήτηιδω κρατῶν

πάντως φανόντ' ὅ γ' ἀροζόμεν.

Ceu lepores scil. mortuo leoni. Sanior longè *Mosch.* (pppp)

τί κέρδ' ὅ, ἔκ' ἔτ' ὄντας ἀνίξειν νεκρῶς

τὴ τὴν ἀναυχὸν γαῖαν ὑβρίζειν πλέον.

§. 14. Ho-

(llll) in notis h. l. (mmmm lib 12 LL. (nnnn) ab *Hug. Grot.* cit. p. m. 308. sub

§ 1. num. 2 (oooo) ap. *Sophocl.* in *Ajaci* ματιγοφόρω p m 74. (pppp)

ap. *Stob.* serm. 124. cit. *Exc. Dn. Stolb.* in notis ad cit. *Sophocl.* 106

III. An &  
hostibus  
debeatur?

§. 14. Hostibus itaq; imò publicis etiam sepulcra, (quod No-  
ster §. 3. seq. propugnat) an debeantur, nunc investigabimus. Et  
posset alicui hîc, contrarium placere. Sed cum naturalis æquitas  
contrà quam solus malèferiatus bellum gerit, sepulturam quoque  
hostium svadeat benè planè sentit Grotius, cum quo concinunt  
plurimorum etiam Gentilium exempla. L. Corn. Consul capto op-  
pido Olbiâ. pro quo fortissimè pugnans Hanno Dux Carthagini-  
ensium occiderat, exequias ipse hostis celebrare non dubitavit:  
Eam tandem victoriam & apud DEOS, & ap. homines minimùm  
invidiæ habituram credens, quæ plurimùm humanitatis habuisset.  
Dicis: obstare in Sacris *Davidis* factum, qui Goliathi caput suspen-  
sum habuit? (qqqq) Sed videtur factum hoc ad terrorem minu-  
endum suis aut ad notam singularem, singularis Dei auxilii, quin  
etiam ad manifestandam tam insolentis confidentiæ & fastûs in-  
anitatem. Nam quæ reposuit *Grotius*, infra examinabimus. Non  
in regulam universalem sunt trahenda, quæ causam habent sin-  
gularem, rectissimè alicubi celeberr. *Dilherrus* [rrrr] ait. *Virgi-  
lius*: [ssss]

*Nullum cum victis certamen & athere casis*

Ubi *Servius* videatur. Athenienses consentientes supra ex *Iso-  
crate* audivimus. Apud Heleos lege cavebatur ne hostium cor-  
pora insepulta relinquerentur. Aureâ quoq; statuâ digna est  
virtus *Caroli V. g. m.* qui cum anno clò loc. XLVII. Wittebergam  
nostrorum studiorum altricem optimam, ingrederetur, & *Ferdi-  
nandus Albanus*, cui dextram jungebat *Episcopus Atrebatensis*  
urgeret, *Lutheri* cadaver publicè cremari juberet; gravissimè non  
minus quàm sapientissimè respondit: Nil mihi ultrà cum *Luthero*:  
alium ille jam habet judicem, cujus Jurisdictionem invadere no-  
strum non est: neq; mihi cum mortuis bellum esse sciatis, d. cum  
superstitibus, & in nos armatis, uti refert *Piccarr.* [ssss] Insuper sum-  
ma necessitas postulare idem videtur. Nam cum inter causas se-  
pulturæ jam recensuerimus, & quidem tanquàm simpliciore  
omnibus, fœtoris extot cadaveribus, & ex eodem mor-  
borum, remotionem, eadem ratio nec hic exulat, præprimis  
post

(qqqq) 1. *Sam. 17.* (rrrr) *Tom. I. Disp: Philol p. 612.* [ssss] *Dec. VI. c. 6. obs:*  
*Hist: Pol.*

post peracta insigniora praelia, ubi occisorum saepe non parva strages, indeq;  
non minora metuenda pericula.

§. 15. Devenimus porrò, quoq; ad eos, quibus hoc officium non *An & insi-*  
immeritò denegatur. E quibus primà vice producit Grotius summè facinoro- *gniter fa-*  
los. Iis n. poena hæc dictata apud Romanos non minus, ac alios. Hinc *Quinti-*  
*lianus* (tttt) *Lex est quæ jubet: Qui parentes in calamitate deseruerit insepultus*  
*abjiciatur.* Eandem poenam minatur *Salomo* in obediēti filio: (uuuu *Ocu-*  
*lus*, inquit, qui subsannat patrem, & contemnit obedientiam matri debitam  
*effodietur à Corvis torrentis, & comedetur à filiis aquila.* Undè *Cl. Kippingi-*  
*us* (xxxx) putat, posteriora hæc capita esse appendicem hujus libri, ab ipso  
Salomone non elaboratam aut conscriptam, cum cadaverum abjectionem lex  
Mosis, nunquam præcipiat, aut patiatur &c. quam benè judicent alii; For-  
tassè eodem jure *Ezech.* XXIX. caput recentioris ævi postulares, cum ibid.  
ejusdem poenæ mentio injiciatur.) Celebris quoq; apud Oratores est vox:  
*Qui causam mortis apud Senatum non dederit, insepultus abjiciatur.* *Alex.* ab  
*Alex.* (yyyy) ita: *Si quis tyranni, malè de Rep. meriti, supplicio affecti essent,*  
*aut si laqueo & morte inhonestà, aut malo letho occubissent, vel caelesti essent*  
*afflatis numine, illos condi sepulcro, aut humari non decebat: itaq; insepulti ab-*  
*jiciebantur.* In sacris ejusmodi poena multis interminatur: *Jesebeli*: (zzzz)  
*Conf. Cohelet* (aaaa) it. *Joaquim* (bbbb) Adde *Dn. D. Quenstedt*: (cccc) &  
*Schonborn*, (dddd)

§. 16. Hic ipse mos v. *Grotio* nostro minus probandus videtur, ut apparet  
infra. (eeee) Urgetur aliàs à contrariæ sententiæ Patronis locus *Deuteron.* (fff)  
imò oraculum Divinum: (gggg) *Terra es, & in terrã reverteris.* Sed obtinet  
hic illud *Seneca*: (hhhh) *In vindicanâs injuriis, hæc tria lex secuta est, quæ*  
*Princeps quoq; sequi debet: aut ut eū quem punit emendet, aut ut poena ejus cæ-*  
*teros meliores reddat, aut ut sublatis malis securiores cæseri videntur;* Ubi Sa-  
pientissimus ille secundo loco, etiam respici jubet ad *Ἰσίδειγμα*, quod i-  
psum in præsentī casu Principes Christianos movisse dicimus, ut cadavera fa-  
cinorosorum, nonnunquam insepulta abjicere passi fuerint. Vid. desidera-  
tissimus *Theologus Danhauerus* ὁ μακαρίτης. (iiii) Hinc ubi majore exē-  
plo opus est ac terrore, absurdum videri non debet, si quandoq; à commu-  
nibus regulis & humaniore jure recedatur, inquit *Petrus Heigius* (kkkk)  
Quod legem concernit Mosaicam, est ea quidem juris divini, (llll) sed po-  
sitivi & quidem forensis, quæque idcirco aliter se apud alias gentes habere  
potest, nec in reverentiam divinæ imaginis, ad quam homo conditus, posita,  
est ac si in corpore ejusq; dotibus constiterit, Imago DEI uti falsò volunt

C

Rabbi-

(ttt) *Declamat. VI. §. 13. seq.* (uuuu *Proverb. 30. 17. xxxxx*) *Exerc. XII. de Script.*  
*S. p. 63. yyyy* *Gen. D. p. 352. (zzzz) 2. Reg. IX. 10. (aaaaa c. V. 13. (bbbb*  
*Jerem. XXII. 19. (cccc) de sepult. Vet. c. IV. p. 60. 61. (dddd Polit. lib. IV.*  
*c. 5. p. 287. 288. (eeee ex §. hujus num. 3. (ffff Deuteron. XII. v. 22. (gggg*  
*Gen. 3. 19. (hhhhh de Clem. lib. 1. c. 22. (iiii in auctario ad Quæstion. Po-*  
*lit. Melch. Junii Q. V. (kkkkk Tom. II. q. v. XXVII. f. 118. (llll Dn.*  
*Ziegl. in Not. p. 421. & quas citat.*

Rabbini à Grotio citati, cum quibus sensit olim facerrimus Manichæorum error, qui propterea V.T. tantum rejiciebant, quod Deo formam & imaginem adscriberet, infeliciter enim isti quærebant (mmmm) utrum Deus habeat nares & quæ nobis sunt necessaria. Quanquam enim majorem in corpore perfectionem agnoverit B. Lutherus, quando ait: (nnnn) Planè enim existimo, ante peccatum, Adæ oculos, ita fuisse claros & acutos &c. potissima tamen imaginis divinæ pars potiùs in illustratione mentis, de rebus divinis & naturalibus &c. in justitiâ voluntatis & appetituum, ut loquitur הנשר הגדול B. Hülfemannus (oooo) Aliam fabulosam hujus legis rationem à Rabbini traditam, suggerit B. Gerhardus (pppp) Nos ad cadavera facinorosorum non sepelienda redimus & ejusdem facti jus porro probare dicimus exempla in sacris, sic (qqqq) tale genus supplicii à posteris Saulis sumtum legitur, & quidem לפני יהוה coram Domino i.e. juxta nonnullos approbante Domino. Manet ergò ex declaratis & recensitis causis sine læsione æqui, jurisq; nonnunquam facinorosorum cadavera sepulturâ privari posse.

§. 17. Grotius noster, quando ad Davidis factum, qui idem in Goliathâ trunco patraverat, responderet, dicit: factum esse in alienigenam, & sub eâ lege, quæ proximi nomen ad solos Hebræos porrigebat. Sed hæc sunt illi tragelaphi, quos pingunt sibi ipsis Verpuli, (Grotium enim Judæizare, sæpius animadvertit quisq; (rrrr) qui vocem ער in sacris non minus amicum & socium, quam alium quemlibet (ssss) significantem, ad solos Judæos re-

stringebant, id quod Phariseorum crimen fuisse testatur ipse לבב (tttt) quàm ipsam *Ἰουδαϊστικὴν* hanc refutat Christus parabolâ de Samaritano viatore (uuuu). Indè illud Taciti, explicat. Dn. Kipping. (xxxx) qui: Apud ipsos, inquit, (yyyy) fides obstinata, misericordia in promptu, adversus alios omnes hostile odium. Adde Clarissimum Heinsium (zzzz) & sæpius laud. Dn. Ziegl. in notis ad Grot. (aaaa) & celeberr. Joh. Heini. Hoiting. (bbbb) De facto ipse vide quæ suprâ diximus.

An & his,  
qui se in-  
terfecerunt?

§. 18. Adhuc antequàm portum nobis adire detur, unicus præternavigandus est scopulus, qui de eorum, qui sibi ipsis necem intulerunt, sepulturâ nos informat. Hi enim αυτοφονεῖς semper sanioribus Gentilibus etiam (si vel solos excipias Stoicos inter hos enim Seneca. (cccc) Nihil interest, scribit, mors

(mmmm) Vid. August. lib. de Generat. contra Manichæ. 17. (nnnn) Comm. in Gen. 1. p. 18. (oooo) in Breviar. Theol. supplem. c. 3. Th. XV. 11. p. 35. Adde sæpius cit. Dn. D. Ziegl. in notis. (pppp) L. Th. de Morte §. 89. p. m. 54. (qqqq) 2. Sam. 21. v. 9. (rrrr) Vide Dn. D. Ziegl. p. 28. & Grotii lib. 1. c. 1. §. 16. lib. 1. c. 2. §. 6. et §. 8. lib. 2. c. 5. §. 9. lib. 2. c. 15. §. 8. &c. imò justum eorum, quos ex Judaorum scriniis scriptisque suxit Noster errorum indicè, Literaria Reij. promissit ni fallor Cl. Vir Joh. Christoph. Vagensehl. (ssss) Vide doct. Casaub. in notis ad Matth. c. V. v. 43. qui de voce τῶν ὄντων ex Græcis idem probat. (tttt) Comment. in legem. (uuuu) Luc. XV. 11. c. 37. (xxxx) Exerc. XLIV. de Scripturâ S. p. 400. (yyyy) lib. V. Hist. (zzzz) Exerc. S. in Matth. 7. 60 (aaaa) p. 83. 91. 382. & h. l. (bbbb) de Jure Hebr. leg. 219. 70 323. (cccc) epist. 79.

*mors ad nos veniat, an ad illum nos.* Cū quibus sentit *Στωικὸν* *Ἰουστῶν*  
*Lipsius*, celebris aliās Criticus, hic n. respondens amico quærenti, (ddddd)  
 an sapienti fas aut jus sibi consciscere mortem; licet nihil definire se dicat,  
 præter definita piis, sapientibusq; viris non omninò tamen improbat Stoi-  
 corum sententiam, quibus *αὐτοχειρία* placuit, licet non *ἀορίστας* aut sem-  
 per, quæ tamen Christiano homini improbanda fuisset, maximè cum fatea-  
 tur religionis nostræ leges, ex quibus rerum iudicium magis, quàm ex antiquo-  
 rum Philosophorum placitis petendum est, id prohibere: Neq; evincit, quod  
 debet similitudo illa, quam proponit, dum ait: Ut in domo conductitio si ha-  
 bitem, nihil peccem, si paulum exeam antè diem pensionis. Ita huic videtur,  
 qui enim antè diem pensionis domum illam relinquit, suo ipsius jure cedit,  
 nulliq; injuriam infert nullius leges transgreditur: Verùm hic alia conditio,  
 nam qui è vitâ properat ante statum diem, is alienum jus (DEI sc. & naturæ)  
 invadit læditq;. Hinc *Hieron:* (eeeeee *Nullam animam recipio, qua me nolente*  
*separatur, à corpore, & tales stulta Philosophia habet martyres.* Thebanis quo-  
 que eadem infamia obiecta fuit, in communi illo proverbio: *Τί ἔκ ἀπ' ἡγ-*  
*ξεί, ἵνα Θήβη* (iv ἡρώς ἄν.) exosi fuere; sic docent *Plato* (fffff item Medi-  
 corum Princeps *Galenus* (gggggg. De *Pythagorâ* refert *Cicero*, (hhhhhh verat  
*Pythagoras* injussu Imperatoris i.e. Dei, de præsidio & statione vitæ decede-  
 re. Idem *Orator*: (iiiiii *Nisi Deus is, cujus hoc templum est omne, quod conspi-*  
*tis, istis te corporis custodiss liberaverit, huc tibi aditus patere non potest.* Con-  
 fer: *Aristoteles* (kkkkkk Idem de *Indis* è *Strabone* notat *Grotius*, & *Arabibus*  
 quoque visum, (inquit in notis) ex *Jobo* discas, c. 3. 21. Quomodo ex *Jobo*  
 hic *Arabum* placita probet, non percipio, vereor tamen ne angvis in herbâ,  
 quem tamen ob temporis angustiam non minus ac plura alia nunc non produ-  
 cã. Ipse *Jobus* an *Arabs* fuerit, & an ejusdè libri originalis lingua sit *Arabica*  
 adhuc summopere controversatur, vide *CL. Philologū* *Excell. Dn. Pfeifferū*  
 nostrum (lllll Hæc obiter. Hisce ergò suicidis ( uti barbarè satis *Caramuel*  
*αὐτόχειρας* vocat) apud nonnullas non adeò rudes gentes sepulturæ caren-  
 tia in pœnam constituebatur. Nec mirum, cum in his aliud supplicium con-  
 stitui non possit, qui mortem pro supplicio non habent, uti *Noster* loquitur.  
*Primitivæ Ecclesiæ* non minus summæ abominationi erant, ut patet ex concil-  
 io *Bracarensi*, apud *Petrum Heigsum*, (mmmmmm in quo vetitum, ne talium  
 cadavera cum *Psalmis* sepeliantur, & nostri *Saxones* adhuc eadem vel ex fe-  
 nestrâ dejecti, vel subter limina domus extrahi, in signum insignis ignomi-  
 niæ, curant:

§. 19. Quam fingunt *Ebræi*, *εὐλογον* ἢ *ξάγωγὴν*, si sc. quis videat se  
 deinceps victurum in probrum ipsius DEI, rectissimè respondit *Dn. D. Ziegler*  
 (nnnnn *Quis certò hoc prævidere potest? siquidem DEO per quam facile est, ma-*  
*dis nobis incognitis probrum suum avertere* &c. vide eundem, & præprimis quæ  
 de voluntate DEI urget

Quod  
 (ddddd *Centur. 2. epist. 26.* (eeeeee *ad Paulam super obitu Blesilla.* (fffff in *Pha-*  
*done* s. *Dialogo de immortal. animarum*, & lib. IX. de *LL.* (gggggg lib.  
*V. de locis affectis.* (hhhhhh in *Catone Majore.* (iiiiii in *Scipionis somnio.*  
 [kkkkkk lib. 3. *Ethic. c. 7.* & lib. V. c. 1. ut & *Maximè Res. & Excell. Dn. D.*  
*Vvendl. in Philos. Pract. c. 4. q. 1. p. m. 231.* (lllll *Parte Primâ Philol. S.*  
*Disp. 1. q. 10.* (mmmmmm *Part. 1. l. 2. XXXV.* (nnnnnn in *Notis l. p. 423*

Quod verò ad *αυτοφονία* Samsonis, spectat h. m. jamdudum respondit Augustinus: (ooooo Samson aliter non excusatur, quod seipsum cum hostibus ruinâ domus oppressit, nisi quia Spiritus latenter hoc iusserat, qui per illum miracula faciebat. Nam Samsonem non peccasse, patet ex ipso Pauli testimonio Ebr. II. Neque propriè *αυτοχειρία* commississe eundem pluribus demonstrat Magnif. D. Calov. (pppppp.

Deinde Saulis quoque violentam, sed voluntariam mortem quando adducunt, & *ἄπολόγητον* putant, notetur falsò spectrum Endoreum magicâ arte productum, & evocatum, vocari Samuelis umbram, ubi falso supponunt, animam Samuelis è Pythonissâ evocari, & ad hanc lucem reduci potuisse, quæ gerræ sunt & Judæorum, (vide *Jalkut* (rrrrr & R. *Jonathan* apud *Clar. Hackspan.* (sssss) Pontificiorum Pererii (ttttt Sopranis, Bellarmini, Del-Rio, Torielli, Saliani, Sanctii, Becani, Cornelii à Lapide, imò tantum non omnium, qui è Lojolitarum mandris prodire. Sed falsissimè, uti fufius demonstrant, Beatissimi Viri D. *Danhauerus* (uuuuu *Waltherus* (xxxxxx *Gerhardus*, & (qui vivat!) *Dn. D. Calovius* (yyyyyy. Nec objiciet quis nobis, verba illa: *וַיִּיָּוָה לְהוֹרֵת אֶת הַיָּוָה לְהוֹרֵת אֶת הַיָּוָה* nâ rectissimè respòdet *Biblia Doradracena* ibid. (zzzzz na het oordel sner verwerede sinnen/ende nyt den woorden der tooverese / maer hyselve en heft desen Samuel niet gesien / & postea: Saul door dese tooverese von den Duyvel bedrogghen zynde / heeft den Duyvel gheert in der Plaetse van Samuel. Vide præterea *Dn. Dilherrum.* (aaaaaa & B. *Gerhardum* (bbbbbbb Ad Rasis factum, quod Gentilismum sapit itidem responsum satis est à nostris *Dn. Kipping.* (ccccccc & cit: *Gerhardo*, imò B. *Luthero*, qui in Glossâ marginali ibid. [ ddddddd hæc notat. Dis Stück verdamt Augustinus billich / darumb auch dis Buch nichts hat gegolten / bey denen alten Vatern / wiewohl auch sonst viel Judensens darinn ist. Idem *Augustinus* [ eeeeeee scribit de his qui sibi mortem inferunt, ne veniant in manus hostium, [ ceu præsens Razes ]: Solent ista in literis Gentilium laudari.

Hæc fuere, Lector, quæ de egregiâ hac materiâ post alios consignare, & conscribere placuit, quibus non pauca adjici posse scio, quæ tamen omnia aliud sibi forte otium, per DEI gratiam, postulabunt, ut sic quod in vere hoc meorum studiorum maturescere non potuit, Æstate tamen ad iustam excreseat ætatē. JAM SATIS EST! TIBI MI JESU, SOLI GLORIA!


(ooooo de *C. D. T. I. lib. I. c. XXI. & lib. I. contra Gaudentinum c. 31.* (pppppp *advers. Grot. ad Iud. c. 16, 30.* (rrrrrr *ad 1. Sam. p. 20, col. 3.* (ssssss *in notis Bibliæ Part. I. p. 649.* (tttttt *ad cap. VII. Exod. disp. 7.* (uuuuuu *Hodosoph. Phænom. IV. p. 413.* (xxxxxx *Harmon. Bibl. p. 369, 370.* (yyyyyy *in Anti-Grot. h. l. (zzzzzz in margine num. 29.* (aaaaaaa *Tom. II. Diss. Phil. p. 54.* (bbbbbbb *Idc. de morte.* (ccccccc *Exerc. de Scripturâ S. p. 155.* (ddddddd *2. Maccab. 14. v. 4.* (eeeeeee *epist. 8.*

05 A 869

ULB Halle

3

003 761 126








Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



F. E. J. 28.  
TIO MORALIS  
SEPUL-  
RÆ  
am  
ersitate Wittebergensi  
ub  
SIDIO  
ESTI *Hering* /  
eg. Philos. Adj.  
Disputationi  
onit  
RESPONDENS  
S *Hinckelman* /  
Misnicus  
orio Maj.  
X. April.  
. 12C. LXLX.  
\*\*\*\*\*  
NNIS HAKEN,  
36.

